...Michael.
...Ep. Gnesn.


Calissiensis Collegii Soc. Jesu Secundi applausus

SECVNDI APPLAVSVS
EMINENTISSIMO
CELSISSIMO
REVERENDISSIMO
MICHAELI
S. R. E.
CARDINALI
RADZIEIOWSKI
ARCHIEPISCOPO
GNESNENSI
Sedis Apoſtolicæ Legato Nato
Regni Poloniarum & M. D. Litvaniæ
PRIMATI PRIMOQUE
PRINCIPI
Ab Vrbe Septicolli, ad ſuam Metropolim
Septicolli Gneſnâ illuſtrem
REDVCI
Congeminati
A COLLEGIO CALISSIENSI SOC: JESV.
Anno Salutis redditæ M. DC. XC.

19.

I.

Non modo Sarmaticos Colchis Tua ditat Iberos.
Fit locuples meritis integra Roma Tuis.
Cum tantæ famæ Lechicus non sufficit Orbis;
Grande Tuum Sidus tollat uterq; polus.



I I.

Se quamvis AGNUS, *pretiosâ Colchide pascit,*
Quamvis GNESNENSÎS *pascua floris habet:*
Pergit, ubi Latiam Tyberinus respicit Urbem.
AGNUS *amat Campos hos, ubi* PASTOR *adest.*

EMINENTISSIME
ET
CELSISSIME PRINCEPS

NOn ſolus ab Urbe redis, PRINCEPS EMINENTISSIME; integram tecum Romam ducis Comitem. Non ſatis illa mirata tuam gloriam apud ſe hoſpitantem; currit poſt te pediſequa: ut in Tua Patria diutiùs Te miretur, cognoſcatque, quãta ſit Polonia, quæ tantos nutriat, tantos attonito ſpectandos concedat orbi. Vix etenim Celſiſsimum vultum Tuum ſalutaverat; non poterat ſe tenere, quin Tibi egregium faceret Comitatum. Exigebat id tot dotibus dignis Principe, tot meritis aucta ſacratior Maieſtas Tua, ut non modò in admirationem ſui excitaret Urbem, Orbis Reginam, verumetiam in una illa, univerſum

versum post se traheret. Intrat itaque Te cum Urbs illa Regum, Metropolim Tuam Gneznâ illustrem, quæ magnificentiâ Tui nominis facta grandior, cum Te posse capere videtur sibi, Romam alteram habere domi se putat. Involant Romanæ Aquilæ in Polonarum Nidum Aquilarum, propinquum hic Tibi solem reperturæ, à quo provenit innocens sidus Tuum. Nec pœnitebit, opinor, Palatinum, cæterosq; montes Latii, Gneznensibus associari Collibus, nec Tyberim Vartæ affundi; cuius Tu amnem, verius quàm Remus Romulusq; revertisti: illi parvitatis, Tu prodigio magnitudinis. Videre ibi erat pompam, gestientium ad Tuum adventum Romanorum: quanto Comitatu, quà præibant, quà sequebantur AGNVM Tuum? & ut appareret clarius, quod gratissimus Urbi Hospes venis, res: ex Barberini Palatio ordiri passum placuit. Dulcissimam Tuam præsentiam ostendêre gentilitiæ apesillæ: & talem, quâ insatiabilem Tui appetitum posses acuere orbi integro. Tantùm proinde ex Te accessit dignitatis ALEXANDRO VIII. Pontifici

Ma-

Maximo: quantum à tota Sarmatia, cuius personam magnificè repræsentabas, sperari posset. Ubi autem adorasti Sacros Cineres INNOCENTII: quid ibi non sensit Gentilitius AGNUS Tuus? cui æmulam attribuit innocentiam, cui teneritudinem Virtus Tua. Vestivit sese pullato syrmate, ubi Tu ex avita Tua Colchide, vel aureum nimbum pro lacrymis, vel gemmas dares. Vidisti Diviniora illa Cælitum æraria; Vaticanas aras es veneratus, magnisqué illis Numinibus illatus es. Volebant certe de Tuo spiritu habere posthumi illi pulveres: cupiebant reviviscere, Polonum in Te STANISLAUM arbitrati. Sed quia Gneznensem Vittam gerebas, ADALBERTUM, ARCHIPRÆSVL Maxime prætulisti. Æternitatem ipsam desponsasti Tibi annulo Piscatoris aut probabiliùs Orbem integrum in Coronam traxisti Tuam. Fortunatam Polycratis sphæram nolim Tuo imponi pollici, quem cerno signatoriâ gemmâ istâ circumcingi. Pridem Tu quidem omnium animos cepisti: sed ubi ad retia naviculamq; Petri perveneras; tot

Urbes

Vrbes, quot sacri tui splendoris hospitales e-rant, impulit fortuna Tibi. Sed & agnatum Angelico nomini Tuo domicilium videre voluisti, scilicet castrum Angeli: Sanctiore illud elatum fastu Cælum sibi videbatur, ubi ad seculorum iactantiam, MICHALIS castrū esse meruit. Debuerant Te fortassis hic captivare vota omnium; si non satius fuisset Tuæ modestiæ, sola Tui desideria reliquisse. Volebant Te quidem retinere portæ ipsæ; nisi fortè, apertiore Thebani vatis prodigio, pergama Romana Tecum duceres, & Gneznam transferres. Ita nimirum semper Tibi septicollis Urbs debetur, ut nunquam appareas non Eminentissimus, Primusque Princeps. Præstolatur Te inclinatis culminibus Gnezna Tua, nunquam felicior, quam ubi Tu illam tenueris. Huc & Appiam Romanorum! in tritam illam Othonis vestigio semitam; ut Palatinam ubique, ut CARDINALEM viam habeas. Murice illi instratum iter fuit: Tibi corda, Tibi pectora occurrentium Civium prona sternuntur. Rediit iam ad se Gnezna Te adventante; rediêre colles illi, quos anti-

antiquitas suis Deastris dedicaverat. Septicollis Regia ista (si maioribus fas est credere) totidem quot Roma distincta collibus, pro Iove PETRUM, pro Marte MICHAELEM pro Plutone Triadem adorat. Assurgit Tibi & culmen Cereris vel Vittarum segrax vel laurearum, quarum messem LAURENTIUS colligit Tuis meritis. Quid verò ille Dianne tumulus? Crucem Tuam prae fronte gerit. Quid gratiosum IOANNIS Apricum? Certè illibato AGNO Tuo pascua fert uberrima gratiarũ. Armatur Thaumaturgâ GEORGII hastâ collis Lechi, quâ Tuum & extollat nomen, & tueatur. Faxint Superi, ut Romam in occursum Tuum induamus. Cùm verò in applausum Tuum erectos colles ascenderis; patere Eminentissimis Tuis pedibus, minimam Societatem substerni. Id à Te exorat supplex

Eminentissimæ Celsitudini tuæ

Subjectissimum Collegium Calissiense Soc: JESV

Et simul exclamat

VIVAT
MICHAEL RADZIEIOWSKI.

AGNI, quos colimus, Majorum Lumina, Vultus,
Lumina ſunt Terris, Fulmina certa ſtygi.

VIVAT
CARDINALIS EMINENTISSIMUS

Non ſatìs eſt, medius quòd Avito Sãguine, PRINCEPS
AGNE rubes: Totus ter Trabeatę nites.

VIVAT
ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS.

Ver erit Æternum, Sol Archipræſulis ortus
Ariete: quàm vivent Lilia ſacra Roſis.

VIVAT
PRIMUS REGNI SENATOR

A ſenibus quondam, Magno jam Nomen ab AGNO
Magnum, non ſolùm mite, Senatus habet.

VIVAT
SEDIS AP. LEGATVS NATUS.

Naſceris, Innocui Summique Antiſtitis, AGNE,
Oſque Manuſque; ſed &, Corq; Animuſq; places

VIVAT
PRIMAS REGNI & M. D. LITVAN:

Et dare, & accipere, eſt AGNI, Diademata Noſtri:
AGNUM, JOANNES indicat, eſse DEI.

VIVAT
PRIMUS PRINCEPS.

princeps, ne dubita, eſt Aries perq; omnia Primus
Nemo prior Soli eſt nemo priorque Solo.

AVde Romulidûm non cedere Leche Quirino;
Et totidem, quot Roma Iugis, invicta videri,
Æmula Fortunæ Majestatisq; Latinæ,
Terrarū dea Gnesna, deæ. Sublime propinquo
Tolle caput pennasq; Polo: sinè numine Divûm
Metropoli summissa caput; pars cætera, pennas
Et volucrem quacunq; pates imitata Tonantis;
Ni surgis Remi scopulo, te major & ipsâ
Est, longo depressa situ, quo celsiùs astris
Mænia se socient, & verso Cardine fati,
Trans veteres Alam sit fas promittere nidos:
Effultam Trabeis, Sacra circum Tempora Vittis,
Conspicuamq; Mitris, Regalia dona Galerum,
Sceptraq; Regali pro Majestate tenentem,
Te RADZIEIOVIO primam sub Principe nosci
Desine visendis longè latèq;, sepultæ
Ruderibus Tua Busta queri; vixq; umbra videri
Illius, Ausoniam Portis quæ claudere molem,
Et septemgeminos intra sua Pergama montes,
Necdum plena pati potuit. Quid lumine fesso
Vestigare juvat spatiosi millia passus,
Quot steterit iaceatuè? soli digitone vel uno
Vrbs noscenda, Gigas hodie? Sed parce minorem
Flere; novæq; nimis Temet præferre vetustam.
Non palmo; metire Tua te sorte: Negabo
Quæ RADZIEIOVIUM, RADZIEIOVIIq; Triumphos
Vrbs capit, hanc toto bene dicier Orbe minorem.
Tu modo, quem Lechiæ Capiti, Mundiq; nec infra,
Ex merito Caput esse Dij voluêre secundum:
Non humilem facili spires in pectora Phæbum
Annutu: placidoq; immensum lumine calcar

A Vrgeat,

Vrgeat, in laudes pedibusq; alisq; ruentem
Pagaſon: atq; Tuis, juga per, per Templa Trophæis
Reptantem, ſine nube vide, vatemq; tuere.

(Ædes Divi Petri in Colle Iovis)

Siſte Viator

Collis hic vetus:

Verus tumulus eſt falſi Iovis.

Pro DEO Termino Petra ſanctior: ſuperſtare Deaſtro maluit

Quam concedere.

Lege impreſſa Deorum cervicibus

Humanis eminentiora Principum Principis veſtigia.

Per Templa Virtutum

Ad templa Dignitatum

Portam aperit

TRIVMPHALEM

PETRVS Claviger ex utroque,

ex utroque Principi

RADZIEIOVIO

AT non terrigenâ tantùm celebrabitur auſu,
Cælo nixus Apex, & major Purpura terris.
Eſtis io! Superi: nec inania nomina, Divûm
Princeps Petre geris: dant, haud invita recludi,
Aſtra viam; Clauiſq; Sacræ reverentia, clauſas
Stare vetat Superûm Portas. Quæ fundit ab alto
Cælituum ſe poſte Manus? Cumulandané terris
Gaudia, non humili calor eſt geminare triumpho,
Atque ſolum miſcere Polo? ne ſola, Lecheum

Et La-

Et Latium, geminis complexo Fascibus Orbem;
Plaudat humus, Regumque Pari. Sic grandinat auro
Iuppiter, aut auro nimium pluit ausa vetustas,
Cùm peperit, pro Matre, Tonans, cerebroque Mineruam
Edidit: à Cunis, rutilos sinè turbine nimbos,
Æque supercilii, nubem sinè nube, sereno
Effulsisse ferunt: stupuêre Atlantides, Vrnam
Haud solitis undâsse uadis: Notus evolat alæ
Ditior, atque auro maddidus, tam divite gestit
Tempestate frui: geminat pretiosa notandum,
Grando diem: rupisse obices Gangesque Tagusque
Creditur, & totis Pactolus ludere terris:
Deucalioneas timuisse ut Pyrrha procellas
Vellet, opes nisi mallet Opi, & non invida, terræ
Aurifluos imbres, natæ documenta Mineruæ.
Sedibus è veri, tanta se mole, Tonantis
Effundit pretiosa Cohors; nutumque Potentem
Pænè præit, non tarda sequi, quacunque tueri
Terras, urit Amor, vel tollere Monstra Gigantes:
Principis obsequio Solii certantibus Astris.
Et nutum bona Causa mouet. Prô tempora falsis
Latè infesta dijs! Hæc, quæ sub PRINCIPE PRIMO
Gnesna RADZIEIOVII Sceptris Saturnia debet
Sæcula, pænè Polus, Tanti quia Numinis Aris,
Suppar ROMA tibi, neque septem Collibus infra;
(Infandum pia GNESNA iubes renouare dolorem)
Occiderat captiva Stygi, tot perdita Monstris,
Quot clivis visenda; nimis, septemplice, verè
Pressa iugo; malesana, dijs Vectigal, & Orco,
Victima, mancipium, viuens moriensque rependit]
Donec Libertas sero respexit inertem,
Tot post damna sagax: præsagaque pectora, Primi
Principis antè viis incumbere cuncta iuberent,
Matureque auferre nefas; quà, Proxime Summis,
Incessurus eras, trepidi calcator Averni,
Piltinæque Stygis terror, Livonumque vetustæ

 Relligi-

Relligionis honos, Radziejovidûmque Corona ,
Non opis hæc mortalis erant: circumſpicit alas,
Et quas quærit habet: (Lechi nam Principe nutu
Vrbs Aquilæ retinet formas, & Nomina nidum,
Auſpicis Omen, habent) ueris ubi vera Tonantis
Dextra patet Sceptris, & formidata Tyranno
Fræna gerit, vel tela Manus: ſtat, remige pennâ
Ire, nec annoſum, tot iam per ſæcula, Crimen
Sacrilegâ æternare morâ. Satis, Ora, deorum
Quòd ſtetit ante, DEI: gemitu res tota peracta eſt:
Audiit Omnipotens: placuit pertæſa nefandum
GNESNA iugum: nutuque Pater, quo cuncta gubernat,
Te Duce Petre, Stygis victricem deſtinat Alam,
Fataque, Tartareo non evitanda Tyranno,
Æternum exilium: quanquam, mala monſtra, nec Igni
Interdicta Sacro; neque Lymphis, naufraga Sacris.
Eſt ubi Cypris erat, Mars, Pluto, Diana, Ceresque,
Cùm Ioue, non impunè diu mendacia Divûm:
Eſt, hodie ſeptemq; iugis, ſe tollit in Aſtra
Atque Lechos, Supèrûm deducta Colonia Cælo.
O! nimiùm dilecte DEO! Tibi militat Aether,
Et coniurati Tanto ſub Principe Diui.
Nec vacuum uenit Ara decus, ſoluſvè profanum
Petrus habet fanum. Tarpeia præda, Triumphi
Pompejo Marioque Duci, vel parta Camillo,
Sacrilegis ſuffixa tholis, concedere primas
Cogitur Auguſtis, quæ, Temet Principe, Diuos
Ornamenta beant. Superûm quot nomina Cælis
Sentirent procul eſſe ſuis. At Numine plenum
Pectus, & Auguſto regnans ſub Murice Virtus
Principis, à Gneſna longè vetat Aſtra uideri.
Invenit, aut Cælum Probitas facit. Agmina quid ſi
Virtutum Xerxea, tegit dum Purpura, prodit.
Quid? duplex ſi Clauis, opes Animique virique
Pandit? & inuidiam motâ fugis Annule Cærâ,
Nec Gazam ſignando premis? quot ſidera, Templum
Auguſtæ virtutis habet? quà Purpura Princeps.

Te dignum Tibi sternit iter; nec cedere Chabris,
Cæsareæ patiensque viæ, quot millia passus,
Per Trabeæ, summissa, præit, Sacra Tegmina, Gnesnam:
Hic Consanguineo, colitur Clementia, Regum
Sanguine; sicca coli; nullâ, nisi cæde nocentûm,
Hic Pietas, & prisca fides, Majoribus Aris,
Et Cæris sacrata Tuis. Hic, Fortia ferre,
Atque audere pari, stat Victima & Infula menti.
Hic miseris reserata Manus: Manus altera Lancem;
Non Themidis trans iura, levans. Hic Zelus, Amorque
(Digna DEO) Patriæ, Regis, Legisque, DEIque,
Vestali, æternam gaudent non cedere flammam;
Templaque Virtutum RADZIEIOVIANA triumphant.

(Ædes Divi Michaelis in Colle Martis)

Hoc è Sublimi
MICHAEL CÆLESTIS MARS:
Martem Tartareum
Pro Lucifero Letiferum egit præcipitem:
& Collem cælum fecit:
VNI ALTISSIMO
ALTERI EMINENTISSIMO
Suppedaneum.
STAT TRIVMPHALE ROBVR
Latè frondescentis excidio Perfidiæ Immortale:
atque Eminentis Cælo, Imminentis Stygi
FORTITVDINIS EMINENTISSIMÆ TESTIMONIO
Quantum vertice in auras Æthereas
Tantùm radice ad Tartara tendit.
Arbor quàm sacrilegè quondam Iovi sacra:
tam Triumphanti pro DEO Sacerrima
MICHAELI.

QVæ prope sublimi Quercus se miscet Olympo?
Ponderis ipsa sui non immemor? Alta profanos

 Obtu-

Obtutus refugit? Cerni se poscit ab astris?
Vrget onus, tollitq; Sacras ad sidera frondes?
Principis agnosco molem, Tua nosco Trophæa.
Signa mihi narrant magnum victricia nomen;
Noscitur inde tuum, quòd Summum est. Maxima, quæque
Humanum excessêre modum, tua credimus esse.
Stat validum ridens venientia secula robur,
Multò plura ferens Insignia Sanguinis alti
Quàm folijs vestita viret densissima quercus,
Nobilis hoc usu, ac longè felicior arbos,
Quàm si Dodonæ natales Sylva dedisset.
Longius it Patriæ projectus terror inhostes,
Spargitur in terras, Sacris quàm frondibus umbra
Pila hinc barbaricum pendent stillantia tabum,:
Arma nitent, sculpti radiant in casside vultus
Majorum; meliùs quos ingeniosior in Te
Effinxit natura Parens: quos pectore toto
Spiras, ac vitâ vitam meliore rependis.
Facta loqvuntur Avos, teq; hac descendere stirpe.
Quid numerem Proavos? inscriptaq; Nomina Regum?
Patria quot memorat pugnas, partosq; triumphos:
Nunquam se meminit felicem, oblita Tuorum:
Quin statim subeant illustria Nomina mentem.
Vivit adhuc memoriq; Parens in pectore fertur,
Ipsâ de Patria poterat qui morte mereri,
Non poterat Tantus Tantam nisi gignere Prolem,
Et te non decuit tanto nisi Principe nasci.
Nec solum titulis Magnorum insignis Avorum
Laudibus occurris: mutuato stare Sereno
Esse parum ducis, propriam qui spargere lucem
Laudis credis opus: Supremi luminis instar
Majorum titulis, quàm pulchro fœdere jungens,
Atq; Tuos nectens, ceu parta Trophæa, Triumphos.
Sudores quæ penna tuâ de fronte profusos
Colliget? aut tantos poterit revocare labores?
Perpetua Alcides non tam certamina gessit:
Tam fatalis erat nec victrix dextera monstris:

Quam

Quàm sibi Te insensum sensêre rebellia vero
Nomina, quàm fortem propriâ sensêre ruinâ.
Ergo Triumphali QVERCVS cumulata Trophæo;
Vincat inoffenso redeuntia Sæcla virore.
At Tibi, (dum Lechici comitatum sole triumphi
Gloria deducet) tangentes sidera palmas
Acclinet, ramiq; vias insternat honore;
Et cupiat major, pedibus submissa, videri.

(Ædes Trinitatis, in Colle Plutonis)

Vive, Triumpha!
Alumna Regum, Columna Rerum
IUSTITIA.
DEPRESSA IN ORCVM,
Ab Areopagi, ad Minois tenebras, extorris Astræa:
Luce interdicta, non igne, nec Vmbris:
Io! luce fruitur, tangit Astra.
Iove tertio, hoc est nullo; à Vera, eo quòd
VNICA IN TRIBVS ÆQVITATE;
Suos ad Rhadamantos Æacosq; retroacto,
TER AVGVSTA THEMIS:
Sangvine & Purpurâ, ad usque Majestatem Regiam
IOANNIS III:
Æquitate assurgens ad usque Divinam,
COLOSSUS est
Tota Divinitate fastigiatus:
Solo altior & Polo: at necdum par
EMINENTISSIMO.

Ergo Quirinali se tollat Gloria Cælo;
Augurijs animata novis? dum grandior ævo,
Ante SACRAS, Trabeata Stupet se Roma Curules,

Applausus mirata tuos: O GNESNA secundis
Auspicijs dotata? Vides, quod & Axis uterque
Ardescit spectare; tua det stare sub Arcto,
Si quis: At Augustis nimiùm splendoribus aucta,
Despiceres Orbem, prope par aut digna videri,
Quam, non invito, de poplite, Mundus adoret.
O ut Præsuleis gaudes circumflua pompis,
Atque Palatinos, passu sub PRINCIPE Colles
Tollis? An Aula Tuo Iovis ultro inclinat honori!
Certè Tarpeij Majestas Numinis, istis
Se septemgeminis, vellet fulcire Cothurnis;
Aut Vaticanos, ad Te transferre Colossos.
Sensit id extorris, veteri de cespite Fani,
Vejovis; & gelido, collum levat aggere, Famæ
Ad lituos auscultat iners. quos vulgat honores?
Cuique struit pompam? Abstersis tum fronte favillis,
In Nova suspensam solvit spectacula lingvam:
Hucne & Aventinæ veniunt fastigia Romæ?
Huc Latium? Vrbs orbis? seu orbis venit in Vrbem?
Seu Vrbs par Orbi est? Video fulgere Quirini,
Collibus è totidem, cum Majestate Serenum;
Hic Capitolinæ surgunt Sacra culmina rupis,
Numinibus, ditata suis: Hic vertice Thusci
Cælius Astriferum, prope suppar, spectat Olympum.
Ast quibus heu inquit mea Lumina læsa theatris?
Aris, quæ sacros nobis, ussère juvencos,
VNA TRIAS regnat: jacet & sub pondere Collis,
Elysiæ Regina plagæ. Sed classica Famæ,
Audiit; atque truci cum murmure Sceptra momordit.
Nec satis est, ô Pluto, Tui quod es exul honoris:
Præsuleo captivus eris; Cervice revincta,
In plausum properabis opus. Decedite campo.
Hic non de Lybicâ fabricabitur arte COLOSSVS
Non quem Maurus habet, seu barbara Memphis. Arenæ,
Este procul? Pretiosa patent æraria Ditis.
Effudit quæcunque tenet, tellusque metalla,

Porphyri

Porphyriumq; decns. Currit, ceu gnara trophæi,
Sponteque in extructo, candeſcit gemma COLOSSO.
Sed meriti, non artis apex, VIRTVTE Magiſtrâ
Non ab Apellæis, opus inſtrumenta Palæſtris,
Incidet meliore Stilo, ſeſe inclyta Virtus,
Ingenio ſuffulta ſuo. Nituntur ovantes,
Ac operæ inſiſtunt Laudes: Tu verò Modeſtos
Avertis vultus, cùm Te legis ipſe; quod ætas
Sera, animo plaudente leget, ſeriesque nepotum:
Hic ſe miratur THEMIS in Te tota: TRIBVNAL
Et Faſces debere ſuos Tibi, Lance relictâ
In Te ſpectari felicibus appetit auſis.
Traxiſti cælo Aſtræam, ſeu Conſulis Aulæ,
Seu in Athænæis, Te Patria ſuſpicit umbris:
IVSTITIA eſt Tibi fida comes: quaſi fædere pacto,
Ingenitos Tecum, probitatis, ſpirat amores:
Illa Tibi ſolio, quoties non ceſſit? & ipſos
A manibus gaviſa Tuis, floreſcere Faſces,
Fortunamque ſuam: cùm Te coram, ire Secures
Vidit, & emerito, ſplendeſcere SCEPTRA Sereno.
Quàm multis hæc dura fuit! Tu ſolus amorem
Deſponſare potes, (Iudex in amore Severus,)
Iuſtitiæ; Faſcesque Tuos increvit in ipſos,
Temperies, blandusque timor: Sic Nate Tonantis,
Cùi ſe pro Solio, poſuit Thaumantias Iris,
Concilias cum luce metum, fæduſque, rigorem
Inter, & ingeniti Candoris, pectora pangis.
Iam verò ut TECVM bene provida Patria Famæ
Certet, PRÆSVLEAM Regno par Annulus ambit,
Dexteram, & hùic fieri pignus, ſibi ducit honeſto.
Tu prior obſignas animos: Aquilaſque Sigilli,
Cereus in certamen agis, promptiſſimus Æquo.
O! duo jurati comites, Te PRINCIPE, Regum,
Æqui & Iuſtitiæ! Tyrio ut ſub MVRICE lucent!
Atque immortales ineunt, cum PRINCIPE nexus;
Ergo TIBI fabricatus ijt ſuper alta Coloſſus,

Nomina qui Tanti, plaudentibus indicet astris,
Atque secuturo, de mille nepotibus ævo.
Te narret latè septena per ostia Nilus.
Mirari Te discat Eos. Te surda Propontis
Oceano ingeminet, quà se Thetis alta, Carinis
Subtrahit; & refluo Phæbus jubar abluit amni.
Tu verò Ausonios, nil infra GNESNA Colossos,
Perge RADIIOVIIS, fulcire vel Astra TROPHÆIS.

(Ædes D. Laurentij, in Colle Cereris)

SVB IVGVM MONTIS HVIUS
Missa religiosiùs quam culta
Ceres, Proserpinam, Mater filiam
Tandem prosequi coacta vsque ad Generum.
Libertate Lechicâ, triumphi adeo Cælestis magnitudinem
Non Lauris, sed totis LAVRENTIIS metiente.
Ardet hic ille hodieque, & lucet:
proque Pharo
Gratæ Divinorum humanorumq; pectorum incendiariæ
MVNIFICENTIÆ INDICE & ILLICE,
PYRAM continuat TRIVMPHALEM
PRINCIPI MUNIFICO.

Quæ micat Empyreis non impar flamma colossis?
Augustumq; jubar per inania cærula spargit?
Purpureâ palmaris apex cui luce coruscat,
Igniferas jaculatus opes? quo stante remittens,
Aurátam Phæbus chlamydem propè temnit; & ambit
Igne novo redimire caput. Quem visa præisse,
Huic collata Rogo, pallescit flamma Bootæ.
Proxima fraterni velut indiga luminis, inde
Pænè obscura nouos cupijt sibi Cynthia crines.
Certè sidereis est æmulus ille lucernis

Ignis,

Ignis, cûi ſimili Siculus nec Mulciber ardet.
Cernis? ut auricomo ſinuatur in æthera niſu?
Æthneosné movet Vulcania turba caminos,
Enceladi toſtura caput? Num veriùs Aſtris
Victorem inducit Victor LAVRENTIVS ignem?
Atq; ubi Romuleis illuxit pompa theatris,
Et montes ardere facit? Phäetonnè reluxit?
Et ſe præcipiti tumidus malè torruit æſtu?
Indicat jgnis opus, facundaq; flamma perorat,
PRINCIPIS adventûs teſtis. Dedit Infula lucem:
Diſpergit cum ſole Sacras CRVX aurea flammas:
PVRPVREVM nitidis cui fulget Syrma pyropis,
Et zelus vivos ad ſydera ſuſcitat ignes.
Hæc PYRA MVNIFICO flagrat ſuccenſa Tyaræ,
Quam populi geminavit amor, quam vota clientùm.
At quìd ſollicitis autorem inquirimus auſis;
Tu Tibi Tu PRINCEPS, palmaris es autor honoris.
Tu flammas ſpargis Primum inter ſydera ſydus,
Numen Purpureum, Romanæ Gemma Coronæ,
Atq; SERENANTIS propè Sanguinis alta Propago:
Auri flàmma jubar; quod Tu dum ſpargis in omnes,
Non animo tantùm, Dextrâ quoque diceris Aurum:
O quantos Aræ de Te duxêre nitores!
Quot! quantas! Bellona faces, & munera debet!
Candet, & argentum radios evibrat. Avari
Eſte procul Midæ. PRINCEPS meliore beatus
Iure Deûm, quidquid tangit diteſcere cogit.
Nec ſe flava Ceres tantis immiſta triumphis
Subtrahit, auriferos circùm ſuccendit Acervos,
Auguſto ſubnixa Rogo, ſe crinibus ambit
Auratis, totumque trahit conchylibus Hermum,
Atque litaturam in flammas Tibi ſpargit ariſtam,
Et Te per medios oſtentat Regibus ignes,
Munifici DEA victa ſoli. Te monſtrat & aſtris,
Exemploque docet, quantùm ſe impendere terræ?
Quos? ubi? Sol radios diſpenſet? quomodo mæſtas

Porrecto latè recreet pia Luna sereno
Noctes? & gelidam frontem trux temperet Arctos?
Pluraque dent precibus, poterant quam dona rogari;
Ne credant miseri, nimiùm vicisse precando:
Pegasea, at quorsum flammis alimenta ministrat,
Icario sinè penna metu? num Pieris unda
Veriùs extingvit? Taceat Chelys. Ardeat auro
Æthna TRIVMPHALIS; Victi & sinè lumine Phœbi,
Victrix flamma; TVI, pro Vatibus, impleat Orbem.

(*Ædes S. Crucis, in Colle Dianæ*)

Ita est, PRINCIPVM EMINENTISSIME.

Eminentiæ Tuæ Magnitudinem
Et Magnitudinis Tuæ Eminentiam
neque capit Collis unus,
nec satis ostentat.
QVANTVS SIS!
Cælo Te metire.
Luna sub pedibus Tuis, cùm Diana
His Illa Collibus,
Immo Europæ collis deturbata.
TE PRÆSÆNTISSIMO AD ARAS,
Viennæ dicam
An Vrbis & Orbis Propugnatore
BONI PVBLICI AMATORE?
Stabit dum Terra Polusque,
Tumuloque huic dabit fastigium immortale,
Gemini SERVATORIS TROPHÆVM geminum.
Et CRVCI INVICTISSIMÆ
Othomanica Inimicorum CRVCIS CHRISTI *Arma*
Flectet vel franget
In ARCVS TRIVMPHALES.

PIETAS RADZIEIOVII.

Ergo Lacæna Viros, Martis gentemque severi,
Non humili genitam partu jactabit? & alto

Sangui-

Sanguine censebit Natos? Spartæque propago
Magnanimam Patriæ Sobolem se fundere solam
Narrabit, Veterum fastos cantata per omnes?
Quin meliore toro, generoso & pignore Spartam
Sarmatia antevenit, rigidæ natosque Lacænæ.
Huîc Fortuna favens, prolem, Mentemque, Gradivi
Fætam operum dedit: Heroo sub pectore Martem
Et solidum clausit. Sic Lechia vertice toto
Altiùs assurgat; lætis concentibus æther
Intonet, & magno geminentur vota Tonanti!
Est, Duce quo, LECHIÆ, mercatus Sangvine laurum,
MARS immortalem, Victor nova signa per Orbem
Explicat: Eoasq; canit quem Fama per Vrbes.
Est PIETAS, TRABEATA hodie: nam VARMIA Vittis
Tunc frontem cinxit, sociataq; SAMBIA Mitris
PRÆSVLEVM PRINCEPSq; Caput. Quo robore Castra
Lechorum valuit, nova Vindex, Dextra tueri,
Armatis precibus ducens ad prælia Divos!
Vidit Othomanidas longè latèq; VIENNA
Turmas, & Geticis horrentia prata sagittis:
Cùm Mundo incumbens Oriens, percelleret Austros:
Vnam Christiadis stragem, Regnisq; minatus.
Vidit & ausa Lechi pariter, pariterq Viennæ
Fata, REI COMMVNIS AMOR Vittatus: & alto
Certa triumphorum ducit suspiria Corde:
Et gemit, & sperat: lachrymis præsagia, lætus
Describit speranda dolor. Quod sæva trophæum
Barbaries Dolopumve Dacumve imponere campis
Tentat? num dubiâ pendet Victoria penna,
Teutoniæ Lechiæq; Viris? minitante procellâ
Sangvineâ, traherent secum quam Cornua Lunæ
Bistoniæ, nimiùm nimbi pluviæq; potentem:
Si non Strage sui, rubeum pudefecerit Istrum.
Vidit, & Augustum Pietas submissa TIARAM;
Letiferasq; hosti, tendens ad Sidera palmas
Iam jam Victrices, inquit: PATER OPTIME DIVVM

Maxime terrarum terror! Quibus Auſtria fatis,
Immo Europa patet? Cujus? qui? Corporis artus
Trejicio ſtant præda Cani? Patiere? Tyrannis,
Theutonidûm captis ſtet ut imperioſior oris?
Religio proſtrata cadat? Num fanda nefandis
Permiſcet? vincitq; nefas? Fideine Quirinæ
Excidium, miſeram viduabit ciuibus Vrbem?
Orbabitq; Sacris Aras, ne divite cenſu
Auſit vectigal, Regum quis pendere Regi?
Dixerat: & placido tot tantaq; Vota Tonanti
Promisſis redimire libet. Flammantur in auſus,
Auſtriadûm Lechiæq; animi. Spes certa triumphos
Iurat: nec dubias laurus, nec vile trophæum
Deſtinat, Odrysiâ certis peſſundare clade
Agmina; & Otomanæ tenebras offundere Lunæ:
Diſcat ut Imperium, Tanto se SVPPLICE ſtare;
Occaſus Orienſq; pati; Lechiæque Gradivi
Arma, Tiarato palmam concedere uoto:
Nam quis PRÆSVLEI non ſenſit Numina Voti?
Hoc de Corde, virorum oblitis addidit alas,
Patriæ Amor; vetuitq; metus, uſſitque morantes:
Non verbis exempla negans; non ſangvine Regum,
Seque litare ſuo dubitans. Pro pectore, SIGNI
Fulgur: IN HOC VINCEMVS ait, Crux ſola trophæum
Spondet, & eſt: Hac Stirpe Salus & Vita pependit:
Hac, de præſenti, pendet Victoria Leto.
Nil galeis opus eſt: nuda & pia tempora, Laurus
Ambiet? è Cælo ſunt Regia Tegmina SCVTI;
CVMq; HOC, eſt, VEL IN HOC, nunquam non vincere, fatū.
Nec mihi VITTATAM, tanto pro ſangvine, frontem
Oppoſuiſſe dolor: nec AVITVS victima SANGVIS,
Scilicet egelido fugit in præcordia lapſu,
Pro Patria pulchrumque mori: Niſi funere Thracum,
Europæ, Superi mallent concludere, vitâ,
Prælia; Trejiciæ non jam immortalia, Lernæ.
Sic animos, ſpes, arma, dedit; PIETASq; merentis
Sangvine

Sangvine tam facili TRABEAS, Patremque probavit,
Vicinamque THRONO Stirpem, nec disfita longè
Pectora Regali CLYPEO : docuitq; TIARIS
Præ ferro debere manum: PIETATEque Martem
Vincere non vinci: Nimio plus, fupplice Divis
Pectore Confilioq; geri. Quis vultibus hostem
PRÆSVLEIS cecidisse neget? Quis fulmina frontis
Crediderit potuisse pati? Quid uota? petitis
Imperiosa Polis? Quid tot fuspiria? flexo
SVPPLICIS INNOCVI precibus uiolenta Tonanti?
Sic vincit TRABEATVS AMOR Patriæq; Deiq;
Regisq; : Et PIETAS, focio cum Marte Trophæum
Dividit. AVGVSTOS viden? ut Palmata lacertos
PVRPVRA non ambita premit? mentisque Modestæ
Prensat opes, violentus Honos: Idemque, receptis
Thraca Dies excesse Thronis, & Thrace cruorem
Cogit; & AVSONIO mactat TVA Tempora CINCTV:
Ne Dibaphæ servisse Tuæ, geminâsseque tinctus
Purpureos, dubitetur Honos, vel fanguine Besso:
Iamque SENATORIS Proavito Murice Cultûs;
Iam, Virtus rerum gaudet quo prima, colore;
Et Confangvineâ prope MAIESTATE rubentem,
Sors totâ coluisse Tyro, Meritissima gestit.
Tanto Fortunæ, cunctos fuper ire, paratu,
Et Latio, & Lechiæ, PRINCEPS ac PRIME, mereris!
Ne RADZIEIOVIÆ non quæ Fastigia plantæ,
Submittant Apicique apices. Stant pervia CLIVO,
Te spectantque TROPHÆA CRVCIS. Quôque impia Colle,
LVNA stetit ceciditque, Aras mentita DIANÆ:
Hoc, hoc, Trejicij jam non ea LVNA Tyranni,
Victa TRIVMPHALES Tibi non nisi furget in ARCVS.
Aut RADZIEIOVIO si fractas ARIETE Vires
Fas stare, & stratam tanto fub Nomine, molem
Surgere: stet BESSA æternum Tibi PORTA Trophæum:
OCCIDVIque Iubar Solij, MEDIIque juvamen,
ARCTOIque decus Primum, Te sentiat ORTVS.

(*Ædes D. Ioannis in Colle Veneris.*)

NON NVMEN,
Labem Numinis & Nominis Cypridem,
cum extergere,
lavando Aethiopem, non poßet:
exterminavit:
memoriamque indignisſimam,
Leteis benè SACRI LACVS,
Malè Sacros ignes extinxit undis,
VICTRIX INNOCENTIA.
Patent itaque PORTÆ AGNO
Inter Florum LILIA Reges,
Reginaſque ROSAS,
TRIVMPHATORI Cordium PVRPVRATO.
Cuius enim
Vel Spartanum pro Muro pectus
non expugnet,
Blandior ille Principum placidisſimi Aries CLEMENTIA
Talem oſtentat,
Talem ſuſpicit, IOANNES AGNVM:
Et quo in Paleſtina,
Et quo non ſurrexit major in Polonia.
En TRIVMPHALEM
è FLORIBUS PORTAM.
quam demum
pro herba Victori porrigit
CELSISSIMVS EMINENTISSIMO
AGNUS AGNO.

SÆcula ferrato, ſit jus evolvere, penſo
Quæ Parcas neviſse nefas. Non vile laboris
Depoſco meritum; Tenero ſpectare cubili,
Depoſitum Lucina tuum: cui numine pleno,

Se For-

Se Fortuna dedit: rudibus, cûi omnia felix,
Quæ ſperare licet, ſociavit faſcia vinclis.
Patritiæ, vel gemma Domûs, vel nobile Patris
Omen ades (Lechici ſed nunc Pars PRIMA Senatûs:)
Quo naſcente, ſuos effuderat Hybla lepores:
Floraq; non ſolito variavit murice terras;
Adventum teſtata VIRI: cui gaudia mille
Cinxerunt Cunas: GENITOR cui Numine plenus,
Veridico ſacrum reſeravit pectore Phæbum:
Naſceris, o! tardæ portus, requieſque ſenectæ:
O! mihi care puer. Superi, non gaudia malim:
Hic SOLAMEN erit, mæſtis hic gaudia rebus.
Annuit his cælum, Votis natura jubetur
TE formare parem. Crevit CLEMENTIA formæ,
Vocis honos, motumque decus; vitæque facultas,
Qua vel Regum animos poteras, vel Summa mereri
Munera Pontificum: Populo tam dulcis amari,
Quàm dignus: Cui corde ſedet, cui Gratia vultu.
Nunc, quàmvis rutilum diſperſerit ore ſerenum,
Circumfuſus Honos; Virtutum ſole micante,
Et Trabeâ geminante diem; non lumina terres;
Non lacrymis ſpectande venis: Sed Numen amicum
Semper ades; pateriſque Tuo clareſcere vulgus,
Lumine; nec blando cedit Clementia Phæbo.
Ergo, Parens Florum ſi quod diſperſit in orbem,
Iam Charites cumulate decus: jam florea ſurgant,
Serta polo; mites fronti paritura Triumphos.
Hic, ubi laſcivo quæ regnat fæda veneno,
Extirpata Venus: titulo meliore tumeſcit
Collis, & in magnum, ſe miſcet Gratia Nomen:
Hic ſacer Vrbis Amor, Lechici Cognata IOANNIS
Gratia, FLORIGERAS cælo conſurgere PORTAS,
Caſta Trophæa, jubet: Virtutis, Maxime PATRVM,
Symbola vera Tuæ: ſuperas qui Principe vultu,
Omne decus florum: cui lâtè & ſvavè rubenti,
Narciſſi concedit honos, Violæque nitores.

Vos quoque non humiles, GNESNENSIA LILIA, Ceræ
Par summis redimite Caput. Vos PRINCIPIS AGNO,
ALBERTI date serta ROSÆ. Sic Agne triumpha!
Herbam KARNKOVIVS Tibi pronam porrigit AGNVS.

(Basilica Metropolitana: & Ædes D. Georgij in Colle Lechi, olim delubrum omnium deorum.)

Infelicem Clivum, & felicem!
quem supra
Superstitiosa Infernalium superûm Vniversitas stetit,
dum Polonia desipuit:
cecidit, cùm resipuit.
Haud ferenda illa,
unà omnium deorum moles,
quantum Lechiam attriverit:
Fatetur LECHI nomen,
Ægrè tot sui detrimentis hoc in Colle superstes.
Quidni iam excusso pondere assurgat expeditior?
Et sublimi feriat sidera vertice?
Eminentiam nactus in Primo Principe summis proximam.
En Aureum Fortunæ cum Libertate reducis Sacrarium.
En pro dispendiosissimo illo tot indignitatum compendio,
Sacrarum tot, facilè Optimi Principum Maximiq;
PANTHEON DIGNITATUM

FAllor? an immani, delubri machina, motu
Concutitur? Collisq; tremit, panduntq; recessus
Fundamenta suos? Vis fati conscia, fani
Commovet omne latus: veteri compage teneri
Non paries, non tecta, queunt. Iam culmina nutant,
Iam fluitant idola, brevem testata ruinam
Impulsu trepido. Stetit, & se effundit in unam,
Moles tota struem: nec vili pondere, latè

Ster-

Sternit humum, sonituq; gravis dat signa ruinæ:
Pulveris assurgens extinguit copia solem,
Et cineris documenta novi cinis excitus adfert.
Præcipites vis una deos, ac tecta nefanda,
Egit, & æternos erexit rudera Manes:
Tantillusque cinis Iovis est, & nomina cassa
Numina sunt hodie, nihilum TE PRINCIPE facta:
Scilicet exanimes etiam, sensuq; carentes
Creduntur sensisse dii, Te Numen adesse
Maius: conspectuq; Tui, ceu fulminis ictu
Procubuisse nefas; & adoratura ruinis
Alciden tot monstra novum: Meditantibus annis
Iam laudes tunc stare Tuas; & grandia, magnis
Hoc est, æqua Tuis, si possent, Nomina gestis,
Annosâ proferre morâ. Sic tempora famæ
Primorum sudant Capitum, longoque dierum
Ordine, præveniunt magnas præconia mentes.
Stat LACVS, & quantâ sis Maiestate, profundo
Vindex metitur Superum, titulosque SACRATI,
Naufragio extinctæ, gaudet non perdere, labis.
O quantum! sed inanè fremunt, fluidoque teneri
Carcere, posse negant, Erebum spirantia saxa:
Detrectantq; pati pænas, quas abditus undis
Quisque, per affinis reddat compendia Letes.
Compedibus luctatur aquæ, similesque gementûm,
Iuppiter implorat divos: dent peruia, Nymphæ
Flumina luminibus, vel quidquam se, sibi Fasces
Et titulos debere negent. Iuvat ora tueri,
Ora, Coronatæ toties Oracula Mentis
Digna loqui, Regesq; pari sermone referre:
Quid caput? & Capitis, meliori Numine germen
Pallada? (Laurigeram stupuit Tybrisq; lubensque
Sequana). Quid magnos Augustæ frontis honores?
Certatim quam GNESNA suis, quam VARMIA Vittis,
Ac immortali decorat jam ROMA GALERO.
Magnorum quàm dextra potens & bajula! Sceptris,
Non

Non solis, Aquilæ vel Regni, digna Sigillis:
Armaque, quam metuenda, Cruces, licet aurea, Sacri
Pectoris argumentum ingens! Quæ fulmina? Diti
Non evitandæ, sacratus Scipio dextræ?
Quàm Trabeas, quin Astra pares tenuisse lacerti!
Vincimur, inquit, opem nullam peto, Numina nulla,
Illius pars nulla Iovis. Non amplius ignes
Fulminis, Ætneâ natos incude, Tonanti
Quondam fida tuo, nostras dabis Ales in ædes.
Non, ingressurus dubiam bellator arenam,
Ante oculos, Mars magne tuos, sacra consulet exta.
Non sua, fraternam Plutonis ad icona curret,
Thura ferens, tenerosq; Arabum fumabit odores
Nudus opum, sitiensq; Tagi. Non amplius ullas
Frugiferæ Telluris opes, ad sacra colonus
Tecta tibi feret, alma Ceres; nec tempora spicis
Impediet, facietq; super, te crescere fruges.
Non, paries Dictinna tuus post bella leonum,
Vrsorumq; necem, & captos indagine cervos,
Cum pharetris appensa feret venabula circùm.
Non famulus, Cytherea tuos, per cærula currus
Flectet Olor. Fuimus. Steterunt nostræ hactenus Aræ.
Omnia Primus habet Princeps. Iam Purpura, PETRI,
Non IOVIS, est munus. Iam cultor es AGNE IOANNIS,
Non Aries Martis rumpendis mænibus aptus.
Idaliæ ROSA sacra Deæ jam sangvine clarum
Ornat ADALBERTVM. Cererem LAVRENTIVS Aris
Ire jubet, flammasq; movet, ni cedat, & ignes.
Iam MICHAEL, victi tumidus certamine Ditis,
Profligat, frustrà torquentem tela, Dianam.
Numina, probra sumus! fusis per opaca querelis
Æterno deflenda Lacu! Succedere nostris
Aspicis heu! nova Templa jugis? & nixa ruinis
Ruderibusq;, novis assurgere tecta columnis?
Hic ubi concordes steterant altaribus aræ,
Et Superûm domus una fuit, nova Panthea surgunt

Eme-

Emeritisq; sacræ PRIMATIS Honoribus Aedes.
Plura locuturi, vox naufraga faucibus hæsit.
Cerne Triumphales, ter PRINCEPS MAXIME, moles;
Virtutis monumenta Tuæ, Simulacraq; tanto
Plena Deo, Magnisq; graves Insignibus Aras.
Vt! se centenis attollunt ora colossis?
Iam laudes dictura Tuas, ut dicere nolis.
Vt! cælata Tuos assumunt marmora vultus?
Nec vulnus sentire putant, aut sæva Myronis
Scalpra pati; RADZIEIOVIO sub Nomine Frontem
Dum jactare queant. Vt! sese montibus altis
Evoluunt, tenebrasq; pati telluris, & antra,
Sponte metalla negant: ut votis mille fatigant
Praxitelis Phydiæq; manum: det vivere, tanti
PRINCIPIS effigie, pretiumq; intendere ab ore.
HIC TIBI Veris opes, & mites spondet Apriles,
Pulcher ADALBERTI, nec tanto tempore languens,
Floris honos. Hic KARNKOVII Tibi militat Agnus,
Atque novos nasci soles miratur, & annos.
Hic MITRAS, VITTASq; vide, Latiiq; Senatûs
Purpureum pendere Decus, vestireq; SVMMVM
Velle Caput. Trabeas & PRIMAS cerne Curules,
ARCHI-q; PRÆSVLEÆ veneranda Insignia Dextræ,
Moreq; Romano, florentem Fascibus Orbem.
Vive ô! Gemma Domûs, MAIESTATISq; Polonæ;
Iam VICE-REGALI Sceptro, jam Sangvinis Alti
Haustâ luce, Secunda Pharos, LVX PRIMA Senatûs
Sarmatici, Latiosq; inter PATER Optime PATRES:
Et VITTÆ GNESNENSIS honos, & PVRPVRA ROMÆ.